



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentarius Iuridicus, Ad L. Stigmata. C. De
Fabricensibus**

Ostermann, Petrus

Coloniae Agrippinae, 1629

I. Sectione agitur de significatione & diuisione stigmatum ac characterum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61313)



SECTIO I.
DE SIGNIFICATIONE ET
DIVISIONE STIGMATVM AC CHARA-
CTERVM QVORVM IN DIVINIS, ET PRO-
fanis Veterum Historijs men-
tio fit. ●



STIGMA, Græcè *στίγμα* à *στίζω* pungo notam siue signum, quod inurebatur significat. Vnde *Martial. lib. 6. 64.*

Stigmata nec v. s. fr. a. delebit Cinnamus arte.

Dignus stigmatē. iuxta Iuuenal. Satyr. 10. 19.

Similiter Character. Græcè *χαρακτήρ*. Latinis latè signum, insigne, siue figura & forma dicitur, ex litera precipuè *l. ad testum 22. §. Signum 5. ff. Qui testam. fac. poss. Columell. lib. 11. cap. 2.* Nec minus maiora quadrupedia Characterē signari debent. Germanis. Ein Brandzeichen. Brandmah. *VVehner. pract. Obser. vocab. Brandzeichen.* Deriuatores dicunt, quod sit signum, Character, Cicatrix, coctura, inustio, quæ sit calido ferro. *Ibid.* Ne tamen incerto pede in hac materia occulta, & intricata vagemur. Primo. quantum ad nostrum propositum attinet, diuiduntur stigmata, quod alia sint merè Spiritualia. Alia Materialia: Hæc insuper partim Naturalia, partim Supernaturalia sunt. Naturalia materialia subdiuiduntur, vt alia faciat sola natura, alia violentia extrinseca. Eaq; sunt vel publica, vel priuata, vtraque vel vituperabilia vel non vituperabilia. Supernaturalia materialia duntaxat extrinseca, & violenta sunt, quorum alia à Deo alia à Diabolo imprimuntur. Nunc de singulis in specie.